DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO-PHARMACOLOGICA
SISTENS

METHODUM
CONCINNANDI FORMULAS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRÆSIDIS ET DIRECTORIS,

nec non

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. Professorum

pro

Doctoris Medicinae atque Chirurgiae Laurea

RITE OBTINENDA

in celeberrima


ACADEMIA JOSEPHINA

publicae disquisitioni submittit

Josephus Wind,

Juvavia, ducatus Salisburgensis, Medicus Castrensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die . mensis Junii 1842.



VINDOBONAE.

Typis Caroli Ueberreuter.

Seiner Hochwohlgeboren

dem

Hochgelehrten Herrn Herrn Doctor

Ignaz Rudolph Bischoff

Edlem von Altenstern,

Sr. k. k. apostol. Majestät wirklichem Regierungsrathe,

Commandeur erster Klasse des churfürstl. Hessischen Haus-Ordens vom goldenen Löwen, — provisorischem Oberstem Feldarzte der k. k. Armee und supplirendem Director der k. k. Josephs-Academie, — öffentlichem ordentlichem Professor, ehedem der medic. Klinik und speciellen Therapie, nunmehr der Physiologie an der k. k. Josephs-Academie, — Stabsfeldarzt — ordentlichem Beisitzer der permanenten Militär-Sanitäts-Commission, — Arzte des k. k. Erziehungs-Institutes für Officierstöchter in Herrnals, — wirklichem Mitgliede der medic. Facultäten zu Wien und zu Prag; — der k. k. Gesellschaft der Aerzte in Wien — und der naturforschenden Gesellschaft zu Leipzig; — Ehrenmitgliede der medic. Facultät an der königl. Universität zu Pesth und des Vereins für Heilkunde in Preussen; — correspondirendem Mitgliede der Hufeland'schen Gesellschaft; der Gesellschaft für Natur- und Heilkunde in Dresden; der physicalisch-medicinischen Facultät zu Erlangen; — des vaterländischen Museums Francisco-Carolinum für Oesterreich ob der Enns und Salzburg; — der *Académie Royale de Médecine* zu Paris; — der kaiserl. Gesellschaft russischer Aerzte in St. Petersburg; — der Gesellschaft für medicinische und Natur-Wissenschaften zu Brüssel.

VIRO

INGENIO, SCIENTIA, EXPERIENTIA

NEC NON

HUMANITATE ET BENEVOLENTIA

AEQUE INSIGNI

LITERARUM MAECENATI

TAMQUAM

ANIMI GRATISSIMI, SINCERIQUE CULTUS

MONUMENTUM

SUMMA CUM VENERATIONE

TENUES HASCE LITERARUM PRIMITIAS

offert et consecrat

AUCTOR.

Illustrissime generose Domine,
Vir summe ac clarissime!

Singulari clementia et summa indulgentia *Tua* favorem et gratiam insignem obtinui, meas has literarum medicarum primitias illustrissimo et ubivis celebrato nomine *Tuo* coronandi.

Hic eximius favor longe desideratam occasionem mihi largitur summam in *Te*, illustrissime Domine! venerationem et gratitudinem publice testandi.

Accipe benigne hasce pagellas qua intimae venerationis e penetralibus cordis prodeuntis testimonium et omni studio *Tuae* gratiae *Tui* favoris, *Tuique* generosissimi ac celsissimi patrocinii dignum se reddere conabitur

gratissimus ac devinctissimus

Josephus Wind.

Prooemium.

Ad capessendam supremam doctoratus lauream leges academicae dissertationem inauguralem de objecto aliquo ex vastissimo artis medendi campo desumpto publicae disquisitioni submittere jubent; quibus ut satisfaciam methodum formulas concinnandi selegi.

Persuasus sum me nil novi edidisse et hunc laborem multis erroribus scatere; ast perpende lector benevole! hanc dissertationem primum esse tentamen literarium et considera me non ex scribendi cupidine sed ex lege hoc suscepisse.

Ceterum meliores, qui de arte formulas concinnandi tractarunt, auctores sequutus, nonnullas quoque formulas ex clinico summe venerandi Domini nostri professoris Steph. Em. S c h r o f f excerpsi.

De arte formulas concinnandi.

Complexus illarum legum medico-pharmaceuticarum, quae in concinnandis formulis, seu institutionis scriptae a medico ad pharmacopoeum directae, qua huic medicamenti praescripti praeparationis et adplicationis ratio innotescit et quae vulgo *recipe* audit, observandae sunt, artem seu methodum formulas concinnandi sistit. Hae regulae generales et speciales sunt, quare in prima parte de concinnatione formularum in genere, in secunda de formulis singulis in specie loquor.

Pars prima.

De formulis formandis in genere.

Formula seu praescriptio medica pharmacopoeo non solum delectum, quantitatem, praeparationis modum et medicamentorum copulationem praescribit, sed etiam aegrum de ratione medicamen a pharmacopoeo exhibitum adhibendi edocet.

Formulae in officinales et magistrales, simplices et compositas, internas et externas distinguuntur.

Formulae officinales illae vocantur, quae in dispensatoriis continentur et secundum quas pharmacopoeus diversa, quae in officinis pro usu quotidiano adservantur, parat praeparata. Magistrales, quae a medico ipso pro dlversitate casuum singulorum concinnantur.

Simplices audiunt, quae uno, compositae, quae pluribus pharmacis constant.

Internae usui interno, externae externo inserviunt.

Omnis formula composita *basi*, *adjuvante*, *corrigente* et *constituente* constat.

Basis illud vocatur remedium, quod indicationi therapeuticae eminenti et maximi momenti correspondet, et a quo hac ex re effectus principalis exspectatur.

Adjuvans dicitur illud ingrediens, quod actionem baseos quocumque modo promovet et illam indicationi magis adaptat, sive vim illius acuendo sive organismi receptivitatem pro illius actione exaltando.

Corrigens aliorum medicamentorum qualitatibus superfluis noxiis vel ingratis emendandis inservit. Quare medicus non raro colorem, saporem, odorem ingratum, colorantibus dulcibus, odoriferis singulari aegri gustui quin medicamenti principalis efficacia patiatur, adcomodare debet.

Constituens. Excipiens, Vehiculum illud nominatur ingrediens, quod medicamini formam desideratam tribuit. Cavendum est, ne virtutem medicamenti imminuat, tollat vel plane noxiam illi conciliet. Quantitatem constituentis in pluribus casibus pharmacopoeo relinquimus, hoc designantes per quantum sufficit, quantum satis, q. s. Baseos et adjuvantis vero quantitas a medico semper adsignari debet.

Ordo, in quo formulam constituentes partes sese excipere debent, a forma, in quam medicamentum compositum redigendum est, et a ratione praeparationis necessariae dependet.

Medicus in componendis formulis simplicitatis et perspicuitatis studiosus sit. Medicamina non praescribat, quorum partes constituentes chemice sese decomponunt, aut quae oppositas possident dotes, nisi forse hoc ipso peculiaris adsequatur finis.

Dosis medicamenti distinguitur in generalem et specialem. Illa continet integram quantitatem prae-

scripti medicamenti, haec vero singulas portiones, quas aeger intervallis temporis definitis sumere debet.

Partes principales omnis formulae medicae sunt *inscriptio*, *initium*, *designatio*, *subscriptio* et *signatura*.

Inscriptio quocumque signo arbitrario constat ut aut numeris, si plures formulae in eadem charta scribuntur. *Initium* formulae est littera R *recipe* significans. *Designatio* pharmaca exponit, qualia, qua forma et qua quantitate in formulam sunt recipienda. *Subscriptio* medicamentorum praeparationes ad formulam receptorum exponit, ut misce, fiat pulvis, fiat massa pilularis, fiat bolus, electuarium, infunde, coque e. s. p. *Signatura* aegrum instruit, quo modo et quo tempore, qua quantitate medicamentum sumat, nonnumquam et vehiculum, quo medicamentum excipiendum est, et temperaturae gradum exponit. Ceterum signatura distincte et in lingua aegri vernacula scribenda est. Conscriptam formulam medicus die mensis et anni currentis, suique nominis subscriptione munit.

Quoad pondus distinguimus civile et pharmaceuticum. Pondus pharmaceuticum seu medicinale.

	Libr.	Unc.	Drach.	Scrup.	Gran.
Granum . .	—	—	—	—	1
Scrupulus . .	—	—	—	1	20
Drachma . .	—	—	1	3	60
Uncia . . .	—	1	8	24	480
Libra . . .	1	12	96	288	5760

Pars secunda.

De formulis singulis in specie.

Haecce pars in duas subdivisiones secedit, quarum prima formulas internas, altera externas comprehendit.

Sectio prima.

De formulis internis.

Formulae internae illae audiunt, quae medicamenta continent ore desumenda et in ventriculum deferenda. Huc spectant:

1. Pulveres. *Pulver.*

Pulvis est forma medicamenti, qua illud operatione mechanica in minimas partes divisum continetur.

Quoad gradum tenuitatis pulvis aut est subtilissimus, etiam alcoholisatus dictus, aut subtilis, aut grossus.

Huic formae pharmaca conveniunt, quae limando, contundendo, terendo, commolendo aut cum aliis substantiis miscendo in minimas particulas invicem non cohaerentes dividi possunt, uti radices, cortices herbae flores, semina, terrae, sales, etiam liquida, si quantitate minima alio pulvere miscentur. Hanc formam non admittunt, corpora nimis dura, tenacia, nimis corrosiva, glutinosa liquida in majori tantum quantitate efficacia, sales facile liquescentes, substantiae nimis foetidae, amarae, aut quae praeparatione necessaria virtute sua spoliantur aut magna mole tantum virtutem suam exerunt.

Nonnumquam dosis generalis simul quoque est specialis, ut in pulveribus vomitoriis, aut in tanta quantitate praescribitur ut plurium dierum spatio sufficiat, nisi pulvis substantiis volatilibus constat. Dosis specialis a granis decem ad drachmam propinatur. Substantiis, quae minima quantitate exhiberi debent, uti opium,

praeparata hydrargyri indifferens quoddam additur ea quantitate ut commode tractari posset, e. g. saccharum pulvis liquiritiae.

Qua corrigentia in pulveribus ingredientia sunt diversa, prouti eorum scopus diversus est. Sic ad digestionem suffulciendam elegantur substantiae aromaticae vel amarae ad odorem et saporem emendandum praeter aromatica saccharum et elaeosaccharum, ad pulveres colorandos zinnabaris etc.

Subscriptione pharmacopoeus informatur, quod substantiae in formula designatae in pulverem sint redigendae. Pulvis si compositus est, hac formula utimur: Misce, fiat pulvis, M. f. p; si secus solum: fiat pulvis, f. p.

Determinata jam in designatione dosi generali, specialis in subscriptione statuenda est, quod triplici ratione fieri potest. Aut integra quantitas pulveris aegro traditur, qui pro informatione accepta cochleatim vel quantum cultri mucrone adquiritur determinatis temporis intervallis illum consumit. Aut quantitas generalis in tot partes aequales dividi jubetur, quod exprimitur divide in partes aequales Nr. Vel in designatione dosis specialis exprimitur et in subscriptione generalis. Tunc scribitur: Misce, fiat pulvis. Dentur tales doses Nr. aut dispensatur in intriplo, quadruplo etc. In subscriptione etiam receptaculum adsignatur, in quo pulvis exhibendus est, uti Detur ad scatulam, detur ad vitrum, ad chartam laevigatam, ceratam, sigillo munitam. Signatura - S. edocet modum adplicationis quoad dosim singulam, tempus et vehiculum, quo pulvis sumendus est.

Exempla.

Rp. Magnesiae ustae
Pulveris foliorum Sennae
āā *drachmas duas.*
Sacchari albi
semiunciam.

M. f. p. aequabilis, detur ad scatulam.
S. Früh 1—2 Kaffehlöff. voll, mit etwas Wasser zu nehmen.

Rp. Limaturae ferri alcoholosati
grana duodecim.
Pulveris radicis Gentianae
drachmam semis.
Elaeosacchari Cinnamomi
drachmam.
M. f. p. aeq. Divide in octo partes aequales.
Jede 2te Stunde 1 Pulver.

Rp. Bicarbonatis Sodae
grana quindecim.
Dentur tales doses Nr. sex ad chartam coloratam.

Rp. Salis essentialis Tartari
scrupulum.
Sacchari albi
drachmam.
M. f. p. Dentur tales doses Nr. sex ad chart. albam.
Mit dem obenstehenden Pulver als Brausepulver nach Bericht zu gebrauchen.

Rp. Florum Sulphuris
Magnesiae carbonicae
āā *drachmam.*
Cremoris Tartari
Sacchari albi
āā *semiunciam.*
M. f. p. aequabilis, detur ad scatulam.
S. Früh und Abends 1 Kaffeblöffel voll.

Rp. Pulveris radicis Jalappae tostae
drachmam semis.
Calomelanos
grana duodecim.
Pulveris resinae Scammonii alcoh.
Pulveris Gummi Guttae
āā *grana sex.*
M. f. p. aequabilis. Divide in part. aeq. Nr. tres.
D. S. Alle ½ Stund 1 Pulver.

Rp. Florum Zinci
grana tria
Sacchari albi
drachmam
M. f. p. Div. in sex partes aeq.
D. S. 3 Pulver des Tages.

2. Pilulae. *Pillen.*

Pilulae sive Catapotia sunt globuli subsolidi ex substantiis medicatis formati pondus trium granorum non excedentes.

Haecce medicamenti forma jure gratissimis adnumeranda est, non tantum cum saporem et odorem substantiae cujusdam celet, adcuratam determinationem dosis et diversissima corpora medicata suscipere, admittit, sed etiam ventriculi et tubi alimentaris laesionem per corpora corrosiva et valde acria praepedit.

Huic formae conveniunt: substantiae tenaces, uti gummi resinae in mortario calefactae; pulveres sicci,

si substantiis glutinosis junguntur, uti extractis mucilaginibus, syrupo, mele; substantiae spissae, glutinosae, uti electuaria, balsama, extracta; substantiae liquidae uti olea aetherea necessaria quantitate cujusdam constituentis a medico determinati addita, ut consistentiam pilularum adquirant.

Quod ipsam pilularum formulam attinet, sequentibus regulis est adcommodanda. In designatione primo ponitur medicamentum principale seu excipiendum quantitate determinata, hoc sequuntur reliqua ingredientia et ad finem ponitur constituens seu excipiens. In subscriptione indicatur pharmacopoeo ut misceantur ingredientia, dein ut fiat massa pilularis, ex qua formentur pilulae determinatae quantitatis, quod vel determinando pondus singularum pilularum vel numerum, quem largiri debet tota quantitas, praestatur. Confectae jam pilulae, pulvere adaequato, ne conglutinentur, consperguntur ut pulvere liquiritiae, lycopodii, florum cassiae, cinnamomi vel foliis argenti aut auri obducuntur. Denique receptaculum commodum, uti scatula, vitrum, charta, determinatur. Signatura numerum adsignat pilularum, ad quem dosis singula ascendere debet et tempus sumptionis nec non vehiculum, quo summendae sunt uti oblatae, aqua etc.

Exempla.

Rp. Extracti Centaurei minoris
unciam semis
Pulveris radicis Rhei chin.
drachmam et semis
Pulveris seminum Foeniculi q. s. ut fiat massa pilularis ex qua formentur pilulae granorum trium.
Consperge pulvere seminum Foeniculi. Dentur ad scatulam.
S. 4mal des Tags 5 Stück.

Rp. Opii puri pulverisati
¼ *granum*
Extracti Lactucae virosae
grana duo
Pulveris Croci
gran. et dimidium
M. f. pilula pro dosi una foliis auri obducenda et dispensentur tales pilulae Nr. decem. Dentur ad vitrum.
S. Abends vor dem Schlafengehen 1 Pille.

Rp. Balsami Copaivae
drachmas duas
Pulveris piper. Cubebarum q. s.
Fiant pilulae granor. trium.
Consp. pulvere Cinnamomi.
D. S. Früh u. Abends 5 Stück.

Rp. Gummi resinae ammoniaci
Pulveris rad. Rhei
Saponis medicati
āā *drachmam*
Fellis tauri inspiss. q. s. ut fiant pilulae granorum trium.
Consperge pulv. Lycopodii
D. S. 4mal des Tags 4 Stück zu nehmen.

Rp. Extracti Filicis maris aeth.
drachm. semis
Pulv. rad. Filicis maris q. s. ut fiat massa pilularis ex qua formentur pilulae Nr. viginti.
Consperge pulvere rad. liquiritiae.
D. S. Alle Stund 5 Stück zu nehmen.

Rp. Olei Crotonis Tiglii
guttas quinque
Pulveris rad. Jalappae
Saponis medicati
āā *scrupulum.*
M. f. pilulae ponderis granorum duorum.
Consperge pulvere sem. Anisi.
D. S. Alle 3 Stunden 4—8 Stück, bis Vermehrung der Stuhlgänge erfolgt.

3. Bolus. *Bissen.*

Bolus vocatur massa mollicula, plus minus globosa corporibus medicatis constans, cujus pondus a granis decem ad drachmam et dimidiam ascendere potest.

Conveniunt huic formae medicamenta gustum et olfactum ingrate adficientia, cujus quantitas generalis vix unquam quatuor bolos excedere debet. Constituentis quantitas pharmacopoeo relinquitur hoc modo: Fiat cum sufficiente quantitate melis, syrupi aut conservae etc. bolus, vel quantum satis ut fiat bolus.

Designatio ab illa pilularum non differt. Subscriptio sequentis est tenoris: Misce, fiat bolus et dentur tales doses duo, tres. Vel si quantitas generalis jam in designatione expressa est, ponitur fiant boli Nr. duo, tres. Signatura eadem ac in pilulis.

Exempla.

Rp. Pulveris rad. Jalappae
grana decem
Pulveris Aloes soccotrinae
grana duo
Syrup Rhei q. s. ut fiat massa, ex qua formentur boli Nro. tres. Consperge pulv. rad. Liquiritiae.
D. S. Morgens, Mittags und Abends 1 Stück.

Rp. Pulveris rad. Rhei chin.
drachmam semis
Sulfatis Magnesiae
scrupulum
Mellis puri q. s. ut fiat bolus. Consperge pulv. rad. liquiritiae. D. ad chartam.
S. Morgens zu nehmen.

4. Electuarium. *Lattwerge.*

Electuarium est pulti similis massa ex pluribus medicamentis composita, spissioris consistentiae ac illa syrupi communis, et mollioris boli et pilularum.

In electuario medicamina excipienda sunt communiter pulveres, qui mediante melle, syrupo, succo, roob, pulpa etc. simplici mixtione in hanc formam rediguntur. Non conveniunt huic formae substantiae odore et sapore ingratae, specifice nimis graves, facile acescentes et putrescentes.

Quantitas generalis electuarii propter timendam corruptionem non quinque uncias transgrediatur. Dosis specialis determinatur ad magnitudinem nucis avellanae, juglandis, aut cochleari coffeano, magno etc. In designatione excipienda et excipiens sequitur. Subscriptio audit: Misce, fiat electuarium. Dein receptaculum adsignatur Detur ad fictile. Signatura consueta.

Exempla.

Rp. Extracti Taraxaci
unciam semis
Extracti scillae aquosae
grana sex
Liquoris terrae fol. Tartari
Extracti graminis
āā *drachmas sex*
M. f. electuarium molle
Detur ad vas fictile
S. Alle 2 Stunden ½ Esslöffel voll zu nehmen.

Rp. Pulveris rad. Jalappae
„ foliorum Sennae
„ cremoris Tartari
āā *drachmas duas*
Syrupi corticum Aurantiorum q. s. ut fiat electuarium.
D. S. Täglich 4—6mal einen Kaffehlöffel voll zu nehmen.

5. Trochisci. *Schluckkügelchen.*

Trochiscus est crustulum complanatnm formae rotundae, consistentiae massae pilularis, grati saporis in ore facile deliquescens. Constat pulveribus et liquido quodam ut syrupo, mucilagine gg arabici, tragacanthae, saccharo, amylo, pulvere cinnamomi. Dosis generalis trochiscorum ad unciam unam, unam et dimidiam exhibetur. Specialis singuli trochisci a granis tribus ad viginti ascendit. Subscriptio est: fiant lege artis trochisci. Dein numerus vel pondus trochisci singuli determinatur, pulvis quo conspergendi sunt et receptaculum. Signatura, dosim specialem tempus et repetitionem illius continet.

Exempla.

Rp. Pulveris Castor. moscov.
scrupulum
Sacchari albi
scrupulos quatuor
Mucilaginis *gg.* arabici q. s. ut fiat massa ex qna formentur trochisci Nro. viginti. Consp. pulv. rad. liquiritiae
Dentur ad scatulam.
S. Alle 3 Stunden 1 Stück zu nehmen.

Rp. Extracti Hyoscyami
scrupulum
Pulveris rad. Iridis florentinae
drachmas duas
Elaeosacchari Anisi
drachmam
Mucilaginis *gg.* arabici q.s. ut fiant trochisci Nro. viginti.
Consperge pulv. semin. lycopodii.
Dentur ad scatulam.
S. Täglich 3mal 1 Stück zu nehmen.

6. Morsuli. *Morsellen.*

Morsulus est tabella quadrata, quae saccharo aqua soluto et ignis ope ad consistentiam tabulandi cocto et substantiis medicatis aliis permixto dein refrigeratione solidato, constat.

Excipienda sunt pulveres, extracta sicca, sales

sicci etc. evitandae sunt substantiae ingratae, tenaces, heroicae. Excipiens est semper saccharum.

Quantitas generalis a tribus ad sex uncias, quantitas singuli morsuli a drachma ad unciam dimidiam ascendit. In designatione vel primo loco ponitur excipiens determinatae quantitatis et dein excipienda vel vice versa. Subscriptio sonat: Misce, fiant lege artis morsuli ponderis. — Signatura ut in praecedentibus.

Exemplum.

Rp. Sacchari albi
uncias sex
Coq. c. s. q. aq. font ad consistentiam tabulandi dein adde.
Antimonii crudi subtilis. pulver.
drachmas duas
Pulv. cort. Cinnamomi alc.
unciam semis
Fiant lege artis morsuli Nr. viginti quatuor.
Dentur ad scatulam.
S. Früh und Abends eine Morselle zu nehmen.

7. Rotulae. *Zeltchen.*

Rotula figura rotunda, supra convexa, infra plana, minori magnitudine et pelluciditate majori a morsulo differt.

Excipienda sunt pulveres grati, succi plantarum, olea aetherea; excipiens est saccharum purum.

Exempla.

Rp. Sacchari albissimi in pulv. triti
unciam
Incalescat ad ignem, dein addantur
Olei destil. Menthae piperitae
guttas sexdecim
Aquae Menthae q. s. ut saccharum tantum diffluat et statim effundatur in rotulas.
Dentur ad scatulam.
S. Münzenzeltchen.

Rp. Sacchari albissimi
uncias sex
Coq. c. Aq. Calami aromat. q. s. usque dum guttae exemtae indurescant.
Tunc admisce.
Olei calami aromatici
drachmam
et fiant cito lege artis rotulae.
D. S. Kalmuskügelchen.

8. Infusum. *Aufguss.*

Infusum est forma medicamenti fluidi, quae infusione fluidi alicujus super corpus quoddam medicatum solidum et subsequente separatione obtinetur.

Hanc formam illae substantiae admittunt, quae partes continent, quas facile fluido infundendo communicant, uti substantiae aethereae et amarae.

Pro natura menstrui infusa distinguuntur in aquosa, vinosa et spirituosa, pro temperaturae gradu in frigida et calida. Formula in designatione medicamentum infundendum cum sua quantitate et menstruum denotat. Subscriptio comprehendit praeparationem ut conscissionem, contusionem, temperaturae gradum; tempus, quod infusio durare debet, uti in infusione calida ¼ horae, in frigida 24, 48, 72 horas; an vase clauso infusio sit peragenda, an agitanda; denique colationem et additionem accessorii, quod adjuvans aut corrigens est. Signatura regulas generales sequitur.

Exempla.

Rp. Herbae Absinthii conscissae
drachmas duas
Infundantur sufficienti quantitate aquae communis fervidae. Stent in digestione vase clauso per qaadrantem horae.
Colaturae
unciarum sex
adde
Infusi Rhei aquosi
unciam
D. ad vitrum.
S. Alle 2 Stunden 2 Esslöffel voll zu nehmen.

Rp. Foliorum Sennae
drachmas tres
Infunde s. q. aq. com. fervid. Stent in digest. per quadrantem horae.
In colatura expressa
unciarum sex
solve
Tartari emetici
granum
Extracti Hyoscyami
grana quatuor
Extracti Taraxaci liq.
drachmas duas
D. S. Alle 2 Stunden 2 Esslöffel voll zu nehmen.

Rp. Radicis Valerianae silv. consc.
Radicis Calami aromatici
aa *drachmas duas*
Infundantur sufficienti quantitate aquae com. fervidae. Stent in digestione vase clauso per quadrantem horae.
Colaturae refrigeratae
unciarum sex
adde
Liquoris mineralis Hoffmanni
drachmam
Syrupi Cinnamomi
unciam
D. S. Alle 2 Stund 2 Esslöffel voll zu nehmen.

Rp. Foliorum Digitalis purpureae
grana octo
Inf. s. q. aq. com. fav. Stent in digest. v. c. per ¼ horae.
In colatura
unciarum octo
solve
Salis Seignetti
drachmas tres
adde
Syrupi simplicis
unciam
D. S. Alle Stund 2 Esslöffel zu nehmen.

Rp. Radicis Rhei ruditer tusae
drachmas duas
Aquae fervidae
uncias quatuor
Ebulliant per aliquot momenta et frigefacta colentur.
D. S. Auf 4mal zu nehmen.

Rp. Radicis Acori conscissae
„ Gentianae
aa *drachmas duas*
Infunde s. q. aq. com. ferv. Stent in digest. v. c. per ¼ horae Colaturae
unciarum sex
D. S. Auf 3mal zu nehmen.

9. Decoctum. *Absud.*

Decoctum est forma medicamenti liquida, quae corporis cujusdam medicati coctione in fluido aliquo obtinetur.

Inserviunt decoctis corpora medicata, quorum partes efficaces in principio tannino et extractivo, resinoso gummi-resinoso et mucilaginoso resident.

In designatione primo ponuntur excipienda cum suis quantitatibus. In subscriptione notatur illorum praeparatio, menstruum, coctionis tempus et remanentia desiderata. Menstrui quantitatem vel medicus adcurate

determinat, assignans simul quantum post absolutam coctionem remanere debeat, vel eam pharmacopoei judicio relinquit quantitatem solum colaturae determinans.

Exempla.

Rp. Radicis Altheae consc.
drachmas duas
Coque cum sufficiente quantitate aquae communis per quadrantem horae.
In colatura
unciarum sex
solve
Sulphatis Sodae
unciam semis
adde
Syrupi simplicis
unciam
M. D. S. Alle 2 Stund 2 Esslöffel voll zu nehmen.

Rp. Corticis Cascarillae ruditer tusi
unciam
Coque cum aq. com. *libra* ad remanentiam
unciarum octo
Sub finem coctionis infunde
Flavedinis corticum Aurantior.
drachmas duas
Stent in digest. fervida per ¼ hor. v. c.
Colaturae adde
Syrupi cort. Aurantiorum
unciam
D. S. Alle 2 Stunden 2 Esslöffel voll zu nehmen.

Rp. Fructum Tamarindorum enucleator.
Radicis Graminis consc.
aa *unciam*
Coq. c. s. q. aq. comm. per ¼ hor. Colaturae
unciarum octo
adde
Cremor Tartari
drachmam
Syrupi simplicis
semiunciam
M. D. S. Gut umgeschüttelt, jede 2te Stunde 2 Esslöffel voll zu nehmen.

Rp. Lichenis islandici consc.
drachmas duas
Coq. c. s. c. aq. com. per decem minuta
Colaturae
unciarum sex
adde
Syrupi Diacodii
unciam
D. S. Alle Stund 1 Esslöffel voll zu nehmen.

Rp. Seminum Lini contus.
unciam
Coq. c. s. q. aq. com. per ¼ hor.
Colaturae
librae unius
D. S. Tassenweise zu trinken.

Rp. Radicis Sassaparillae consc.
unciam
Rasurae ligni Guajaci
unciam semis
Aquae fontanae
libras quatuor
Macerentur per 12 horas
Coque dein ad residuum
librar. duarum
Colaturae
adde
Sacchari albi
unciam semis
D. S. Den Tag über lauwarm zu verbrauchen.

10. Emulsio. *Pflanzenmilch.*

Emulsio est medicamenti forma fluida, lacti quoad consistentiam et colorem similis, oleosis, resinosis, mucilaginosis partibus fluido quoddam mechanico mixtis constans.

Distinguitur emulsio vera ab emulsione spuria.

Emulsio vera e corporibus, partes mucilaginosas et oleosas continentibus paratur, uti seminibus amygdalarum, cucumerum, melonum, papaveris albi, lini, quae terendo in aqua suspenduntur. Spuria vero pro materia emulgenda habet oleosas et resinosas substantias, uti olea pinquia, balsama nativa, camphoram, resinas et gummi-resinas, quae mediante vitello ovi, gummi arabico, melle, syrupo etc. aquae miscentur.

Formula emulsionis verae in designatione materiam emulgendam cum suo pondere, dein fluidum exhibet. Corrigens vel in designatione vel in subscriptione poni potest. Subscriptio vel tradit parationis modum vel qua pharmacopoeo cognitum praeterit et solum ut fiat lege artis emulsio notat. Signatura non differt a praecedentibus.

Exempla emulsionis verae.

Rp. Amygdalarum dulcium ex cort.
unciam
Contusis cum pauxillo aquae communis sensim affunde terendo
Aquae communis
libras duas
Colaturae adde
Sacchari albi
unciam semis
D. S. Mandelmilch zum Getränk.

Rp. Amygdalar. dulcium ex cortic.
unciam semis
Contundendo et conterendo sensim affunde
Aquae com. q. s.
ut fiat emulsio
Colaturae fort. expressae
librae unius
adde
Aquae Laurocerasi
drachmam
Sacchari albi
unciam semis

S. Alle Stunde ½ Kaffehschale zu nehmen.

Exempla emulsionis spuriae.

Rp. Olei Amygdalarum dulcium rec. pressi
drachmas duas
Mucilaginis *gg* arabici
Syrupi simplicis
āā *unciam*
Bene subactis adde sensim affundendo et continuo terendo.
Aquae fontanae
uncias octo
Aquae cerasor. nigrorum
drachmam
D. S. Alle 2 Stund 2 Esslöffel voll zu nehmen.

Rp. Balsami Copaivae
drachmas duas
Mucilaginis *gg* arabici q. s.
bene subactis sensim affunde terendo.
Aquae Petroselini
uncias sex
D. S. Alle Stund 1 Esslöffel voll.

Rp. Olei Ricini rec. pressi
unciam
Mucilaginis *gg* arabici q. s.
ad perfectam olei subactionem
Affunde sensim, terendo
Aquae communis
uncias octo
Solve
Salis amari
drachmas sex
adde
Syrupi simplicis
unciam
D. S. Alle 2 Stund 2 Esslöffel voll zu nehmen.

Rp. Baccarum Juniperi contus.
unciam semis.
Inf. s. q. aq: comm. ferv.
Stet in digest. per ¼ horae
Colaturae
unciarum sex
sensim affunde terendo:
Therebinthinae venetae in mucilaginis *gg* arab. suff. q. subactae
drachmis duabus
adde
Elaeosacchari Foeniculi
drachmas duas

D. S. Früh und Abends 1 Esslöffel voll, allmälig bis auf 6 Esslöffel steigend.

11. Mixtura. *Mixtur.*

Medicamenti formam fluïdam habet, quae aliorum medicamentorum mixtione obtinetur.

Tres mixturarum species in usu sunt: a. *julapium*, b. *mixtura media*, c. *mixtura contracta.*

a) Julapium. *Julepmixtur.*

Julapium est mixtio substantiarum medicatarum visui, olfactui et sapori gratarum. Distinguitur excipiens uti aqua communis, destillata, decocta et infusa et excipienda uti succi plantarum grati, essentiae, spiritus, acida mineralia et vegetabilia et edulcata, elaeosacchara etc.

Haec forma partim pro potu ad plures libras, partim pro medicamine ad uncias quatuor — sex ordinatur. Praeprimis julapio utimur qua potu in febribus, in ordinandis infantibus medicaminibus et subministrandis acidis.

In designatione excipiens et excipienda notantur cum suis quantitatibus, Subscriptio, ut fiat julapium. Signatura consueta.

Exempla.

Rp. Aetheris acetici
drachmam
Aquae Menthae pip.
uncias sex
adde
Syrupi Cinnamomi
unciam semis
S. Nach Bericht.

Rp. Aquae communis
libras duas
solve
Acidi Tartrici
grana quindecim
adde
Sacchari albi
unciam
M. f. julapium.
D. S. Zum Getränk.

Rp. Tincturae Cinnamomi
Liq. min. Hoffmanni
āā *drachm. et semis*
Vini malacensis
uncias quatuor
Syrupi corticum Aurantior.
semiunciam
M. D. S. Alle 3 Stunden einen halben Esslöffel voll.

Rp. Aquae communis
libras duas
Succi Citri
unciam
Sacchari albi
drachmas sex
M. f. julapium.
D. S. Zum Getränk.

b) Mixtura media. *Mittelmixtur.*

Fluidum e medicamentis magis efficacibus quam gratis constans, sistit.

Ut in julapio aeque hic distinguitur excipiens et excipiendum; illud omne fluidum sistit, hoc est numerosissimum, huc pertinent: spiritus, essentiae, tincturae, syrupi, sales, succi; extracta, pulveres. Huic formae non conveniunt, corpora minima aut tantum magna quantitate efficacia et nimis specifice gravia.

Exempla.

Rp. Aquae Foeniculi
uncias sex
Spiritus Nitri dulcis
Extracti Quassiae
āā *drachmam*
Aquae Cinnamomi
unciam
M. D. S. Alle 2 Stund 2 Esslöffel voll.

Rp. Cort. Peruviani rud. tusi
unciam
Coq. c. s. q. aq. comm. per ¼ hor.
Colaturae refrigeratae
unciarum octo
adde
Liquor. cornu cervi succin:
scrupulum
Syrupi cort. Aurantiorum
unciam
D. S. Alle 2 Stunden 2 Esslöffel voll.

Rp. Herbae Centaurei minoris
Seminum Foeniculi
āā *drachmas duas*
Inf. s. q. aq. com. ferv. stent. in in digest. v. c. per ¼ horae
In colatura
unciarum sex
solve
Salis amoniaci depurati
grana quindecim
Extracti malatis ferri
scrupulum
D. S. Alle 2 Stund 1 Esslöffel voll.

Rp. Rasurae ligni Guajaci
unciam semis
Radic. Sarsaparillae consc.
unciam
Aquae fontanae
libras quatuor
Macerentur per 12 horas
Coq. dein ad remanentiam
librarum duarum
Colaturae adde
Sacchari albi
drachmas sex
D. S. Schalenweise den Tag über lauwarm zu trinken.

c) Mixtura contracta. *Tropfentinktur.*

A priori differt in eo, quod ex medicamentis in minima quantitate efficacibus consistat, guttatim sumatur et quantitas generalis uncias duas non excedat.

Hanc formam componunt, essentiae, acida concentrata, edulcata, tincturae, balsama, olea aetherea, extracta, sales dosi minima efficaces. Dosis specialis guttarum numero determinatur.

Exempla.

Rp. Tincturae cort. Aurantior.
„ Cinnamomi
drachmas tres
Spiritûs aetheris martialis
drachmam
M. D. S. Alle 3 Stunden 3 Tropfen auf Zucker.

Rp. Aquae Cinnamomi
unciam
Tartari emetici
granum
Extracti Aconiti
drachm. semis
M. D. S. Alle 3 Stunden 24 Tropfen in Wasser zu nehmen.

12. Linctus. *Lecksaft.*

Est medicamen fluidum consistentiae syrupum inter et electuarium medium tenentis.

Mechanica miscela substantiarum mucilaginosarum et saccharatarum paratur uti syrupi, mellis, mucilaginis gummi arabici, vitelli ovi, oleorum expressorum. Non raro linctubus remedia efficacia adduntur.

Quantitas generalis uncias duas ascendit. Dosis specialis per cochlearia parva determinatur. Subscriptio sonat: Misce fiat linctus. Signatura numerum cochlearium et quo tempore sumenda sunt adsignat.

Exempla.

Rp. Olei Amygdalarum rec. pressi
unciam
Mucilaginis *gg* arabici
semiunciam
Syrupi Diacodii
unciam et semis
M. f. Linctus
D. S. Alle halbe Stund 1 Kaffehlöffel voll zu nehmen.

Rp. Sulphuris Antimonii aurat.
grana duo
Mucilaginis *gg* arabici
Syrupi capillor. Veneris
āā *unciam*

M. f. Linctus

S. Alle 2 Stund 1 Theelöffel voll.

13. Serum lactis. *Molken.*

Est fluidum, quod separatione partis caseosae a lacte obtinetur. Serum lactis aut acidum aut dulce est.

Materiae, quibus separatio a lactis calidi partibus caseosis et oleosis perficitur, sunt: coagulum vitulinum (Laabmagen) pulpa Tamarindorum, alumen depuratum, acetum vini, succus Citri, Cremor Tartari.

Quantitas generalis et specialis respondant diversitatae ingredientium et scopo cui serum lactis inservire debet.

Exempla.

Rp. Lactis vaccini
libram
Ebulliat in vase figulino
tunc admisce
Aluminis pulverisati
drachmas duas
Mixta ebulliant ad perfectam casei separationem
Colaturam eliqua cum albumine ovorum duorum.
M. D. S. Alaunmolken.

Rp. Seri lactis dulcis clarificati
libram semis.

D. S. Abends zu bereiten, u. des Morgens zu verbrauchen.

Sensim crescendo usque ad libras duas.

Rp. Radicis Graminis
Malthi molendina fracti
āā *unciam semis*
Coq. lento igne per semihoram cum
Lactis vaccini
libris tribus
Sub finem coctionis adde
Coaguli vitulini praeparati
scrupulos duos
ut caseus concrescat. Post perfectam coagulationem cola et serum colatum misce terendo et agitando cum
Albumine ovorum Nr. 2.
Denuo coque et tunc cola per linteum.

D. S. Täglich 4 Bechertassen voll zu trinken.

14. Gelatina. *Gallerte.*

Gelatina substantiam plus minus pellucidam, tremulam, valde nutrientem sistit. Substantiarum animalium uti ungularum, cornuum, ligamentorum, cartilaginum aut vegetabilium uti radicis Salep. lichenis islandici, amyli coctione et refrigeratione obtinetur.

Non raro gelatinis ad saporem fatuum emendandum corrigentia adduntur ut saccharum, succus citri etc.

Exempla.

Rp. Lichenis islandici
uncias duas.
Ebulliant cum aq. com.
libra
per breve tempus; aqua ut inutilis abjiciatur. Residuum iterum coquatur cum aq. com.
libra una et semis.
ad remanentiam
unciarum octo.
Colaturae fort. expressae adde Syrupi Rubi Idaei
unciam.
Leni igne evaporetur loco frigido ut in gelatinam abeat.
D. ad pyxidem Nach Bericht.

Rp. Herbae Tanaceti
unciam
Ichthyocollae
scrupulum
Coq. c. aq. font. q. s. per $\frac{1}{4}$ horae
In colatura
unciarum quatuor
solve
Sacchari albi
unciam
Stent In loco frigido ut in gelatinam abeant.
D S. Wurmgallerte.

Sectio secunda.

De formulis externis.

Formulae externae illae vocantur, quae medicamina exhibent cuti externae, oculo et cuicunque parti alteri adplicanda.

1. Aspergo. *Streupulver.*

Aspergo est pulvis, qui parti cuidam inflammatae, excoriatae, suppuranti, gangraenescenti etc. adspergitur.

Exempla.

Rp. Gummi arabici
Colophonii
Gummi Kino
āā *drachmas tres*
Aluminis dep.
drachmas duas.
M. f. Pulvis.
D. S. Auf die blutende Fläche zu streuen.

Rp. Pulveris radicis Rhei.
Corticis peruviani alcohol.
āā *drachm. quatuor*
Camphorae
drachmam.
M. f. pulvis.
D. S. Täglich 1—2mal in das Geschwür einzustreuen.

2. Pulvis sternutatorius. *Niesepulver.*

Pulvis sternutatorius, errhinus ille est, qui naribus adtractus stimulo suo sternutationem provocat.

Exempla.

Rp. Pulveris herbae Majoranae
Pulveris herbae Mari veri
— florum Lilii convall.
— rad. Iridis florent.
āā *drachmam.*
M. f. pulvis. D. ad scatulam.
S. Niesepulver.

Rp. Pulveris herbae Majoranae
Pulveris herbae Salviae
— rad. Valerianae
— — Iridis florent.
āā *drachmam.*
Olei Caryophyllorum
guttas decem.
M. f. pulvis subtilissimus.
D. S. Niesepulver.

3. Pulvis ad oculos. *Augenpulver.*

Ille est pulvis subtilissimus qui immediate oculis adplicatur.

Exempla.

Rp. Sacchari albi
Aluminis usti
āā *drachmam.*
M. f. pulvis subtilissimus.
D. S. Augenpulver.

Rp. Sacchari albi
Tartari depurati
Boli armenici
ää *drachmam.*
M. f. pulvis subtilissimus.
D. S. 2—3mal täglich etwas davon ins Aug zu blasen.

4. Pulvis dentrificius. *Zahnpulver.*

Vel dentibus mundandis vel gingivis laxis consolidandis vel utrique fini inservit.

Exempla.

Rp. Carbonis ligni Tiliae *unciam.*
Radicis Ratanhiae *drachmas quatuor.*
— Iridis florentinae
Myrrhae electae
ää *drachmas duas.*
Caryophyllorum aromat.
Corticis Cinnamomi
ää *drachmum sem.*
M. f. pulvis. D. ad scatulum.
S. Zahnpulver.

Rp. Crustae panis tostae *drachmas quatuor.*
Pulveris radicis Iridis flor. *drachmas duas.*
Myrrhae *drachmam semis.*
M. f. pulvis.
D. S. Zahnpulver.

5. Epithema siccum. *Species zu trockenen Umschlägen.*

Epithema siccum seu fomentum siccum speciebus variis panno linteo seu sacculo exceptis constat. Pro diversitate formae etiam varie nominatur uti pulvinar, cucufa, lectulus, sacculus.

Exempla.

Rp. Florum Sambuci
— Malvae vulg.
— Verbasci
ää *drachm. quatuor*
Farinae Fabarum *unciam.*
Concisa M. f. Species. In 4 Säckchen zu füllen, matrazenförmig abzunähen und diese Säckchen erwärmt abwechselnd vor die Augen zu binden.

Rp. Herbae Absinthii
— Salviae
— Majoranae
— Menthae pip.
ää *semi unciam.*
Concisa M. f. Species.
D. S. Zum Kräuterkissen.

6. Epitheme humidum. *Species zu feuchten Bähungen.*

Sub fomento liquido, fotu, intelligitur fluidum aliquod, in quod panni linei vel lanei immerguntur et fluido imbuti parti corporis alicui apponuntur. Est aut frigidum, tepidum aut calidum. quod ultimum proprie fomentum adpellatur.

Exempla.

Rp. Florum Malvae
— Chamomillae volg.
Furfurum Tritici
āā *semi unciam.*
Concis. M. f. Species.
D. S. Mit einer Mass; Milch zu Bähungen.

Rp, Aquae fontanae
libras quatuor.
Aceti vini
libram.
Salis ammoniaci
unciam semis.
M. D. S. Mit dicken Compressen kalt auf den Kopf umzuschlagen.

7. Cataplasma. *Breyumschlag.*

Cataplasma est puls substantiis medicatis constans parti cuidam externae imponenda.

Exempla.

Rp. Farinae seminum Lini
uncias tres.
Coque cum aq. font. q. s.
ut fiat cataplasma.
D. S. zwischen Leinwand geschlagen warm überzulegen.

Rp. Herbae Hyoscyami
— Conii maculati
āā *unciam.*
— Malvae vulg.
Florum Chamomill.
āā *unciam.*
Seminum Lini
uncias duas.
Concis, Contus. coq. c. s.
q. aq. font. ad consistent. cataplas. cui adde
Olei Lini
uncias duas.
M. D. S. Zum Breyumschlag.

8. Sinapismus. *Senfteig.*

Sinapismus substantiis rubefacientibus et irritantibus aquae vel aceti vini ope in pultem redactis constat.

Exempla.

Rp. Farinae seminum Sinapis nig.
uncias tres.
Aquae calidae q. s.
ut fiat pasta satis spissa
D. S. Auf Leinwand gestrichen aufzulegen.

Rp. Fermenti panis
uncias duas.
Pulveris seminum Sinapis
Rasurae rad. Armoraciae
āā *unciam.*
Aceti squillae q. s.
ut fiat Sinapismus.
D. S. Senfteig.

9. Emplastrum. *Pflaster.*

Est medicamenti forma in frigore consistentiae solidae, leni calore mollis et tenacis.

Substantiae emplastrum componentes sunt oleosae uti oleum olivarum, lini, hyoscyami, vel pinguedines ut axungia pedum tauri, porcina, et resinosae, huc pertinent, cera, resinae, gummi-resinae, picis diversae species etc. Quandoque his substantiis leni igne liquefactis corpus quoddam efficax admiscetur ut pulveres, extracta, olea aetherea e. s. p.

Exempla.

Rp. Emplastri cantharidum
drachmas duas.
Extende supra linteum magnitudinis volae manus, margines ad pollicis latitudinem emplastro adhaesivo obducendo.
D. S. Nach Bericht.

Rp. Gummi ammoniaci
Cerae flavae
āā *unciam.*
Colliquefactis admisce
Sulphatis Cupri
drachmas sex.
M. f. l. a. emplastrum.
S. Auf Leinwand gestrichen auf die Hühneraugen zu legen.

10. Unguentum. *Salbe.*

Unguentum est massa consistentiae axungiae, quae externae corporis parti leni frictione vel linteo excepta adplicatur. Substantiae componentes eaedem sunt ac in emplastro, a quo quoad consistentiam unguentum differt.

Exempla.

Rp. Axungiae porcinae
unciam.
Tartari emetici
drachmam.
M. exacte.
F. Unguentum.
D. S. Nach Bericht einzureiben.

Rp. Mezerini
grana quatuor.
Subige cum aliquot guttulis
Olei amygdalarum r. p.
Unguenti simplicis
unciam semis.
Misce exacte in unguentum.
D. S. Auf ein Leinwandfleckchen aufgestrichen auf die wunde Stelle zu legen.

11. Ceratum. *Wachssalbe.*

Cerata dicuntur emplastra molliora, et cum in nulla alia re ab his differant quae de emplastris commemorata sunt, et hic valent.

Exempla.

Rp. Olei Cacao
unciam semis.
Olei Amygdalarum r. p.
drachm. duas.
Leniter liquefactis, adde
Olei Bergamott.
guttas decem:
F. l. a. Ceratum.
D. S. Mundpomade.

Rp. Cerae albae
drachmas duas.
Spermatis Ceti
Olei amygdalarum r. p.
āā *unciam semis.*
Liquefactis supra ignem f.
l. a. Ceratum.
D. in charta cerata.
S. Zum äusseren Gebrauch.

12. Linimentum. *Schmiere.*

Est medicamenti forma fluida spissa, quae corporis parti cuidam frictione illinitur. Excipientia sunt olea, pinguedines, vitellum ovi etc. Excipienda medicamina varia Camphora, amonium, olea aetherea.

Exempla.

Rp. Olei Olivarum
unciam.
Liquoris ammoniaci puri
drachmam et semis.
Misceantur concutiendo in lagenula vitrea epistomio suberico claudenda.
S. Zum Einreiben.

Rp. Aquae Calcis vivae
Olei Amygdalarum r. p.
āā *unciam.*
Laudani liq. Sydenhami
scrupulos duos.
M. in linimentum.
D. S. Brandsalbe.

13. Clysma. *Klystiere.*

Clysma seu Enema est injectio medicamenti fluidi seu gasiformis per anum in intestinum rectum.

Excipiens, excipiendum et accessorium pro scopo diverso aeque sunt diversa. Quantitas injicienda pro aetate et sanationis scopo ab uncia ad uncias decem variat.

Corpus efficax si adhibetur in enemate, hujus quadruplum seu sexduplum quam pro usu interno recipitur, exceptis narcoticis, ordinatur.

Exempla.

Rp. Amyli puri
unciam semis.
Tere cum pauxillo aquae frigidae affunde dein sensim continuo terendo
Aquae frigidae
uncias octo.
D. S. Zu 3 Klystieren.

Rp. Decocti specierum Althaeae
uncia decem.
Olei Olicarum
unciam.
D. S. Zu einem Klystier.

Rp. Aquae tepidae
uncias decem.
Solve
Salis amari
drachmas sex.
adde
Olei Olivarum
unciam.
D. S. Zu einem Klystier.

Rp. Herbae Nicotianae
drachm, duas.
Inf. s. q. aq. font. fervid. Stent in digest. v. c. per $\frac{1}{4}$ hor.
Colaturae
librae unius.
D. S. Der sechste Theil davon mit warmen Wasser verdünnt zu einem Klystier.

14. Collyrium. *Augenwasser.*

Collyrium est medicamentum fluidum quod in diversis oculorum morbis externe organo adfecto adplicatur. Constituunt collyrium solutiones, decocta et infusa diversa et corpus quoddam principale. Quantitas generalis nunquam uncias quatuor excedit.

Exempla.

Rp. Mercurius sublimatus corros.
granum
solve in
Aquae destillatae com.
unciis quatuor.
adde
Laudani liquid. Sydenhammi
guttas octo.
Mucilaginis seminum Cydoniorum
drachm. duas.
D. S. 4—6mal des Tags mit einer kleinen in einer Schale erwärmten Portion ein Compress'chen zu befeuchten und das Aug sanft auszuwischen.

Rp. Lapidis divini
grana duodecim.
Solvantur in
Aquae destillatae
unciis quatuor,
Colaturae adde
Tincturae Opii crocatae
Liquoris plumb. acetici basici
āā *guttas quindecim*
Misceantur S. Augenwasser.

15. Collutorium et Gargarisma.
Mund- und Gurgelwasser.

Collutorium est medicamentum fluidum quod cavo oris aliquamdiu detinetur, vel in faucibus movetur et tunc Gargarisma audit, postea vero exspuitur. Omne igitur medicamentum liquidum, decoctum, infusum, emulsio, mixtura, si in hunc finem praescribitur evadit Collutorium vel Gargarisma.

Exempla.

Rp. Boracis veneti
drachmam.
solve in
Aquae Salviae
unciis sex.
adde
Mellis Rosarum
unciam.
M. D. S. Mundwasser.

Rp. Florum Sambuci
drachmas duas.
Inf. s. q. aq. font. ferv. per $\frac{1}{4}$ hor.
Colaturae
unciarum octo
Mellis depurati
uncias octo.
M. D. S. Gurgelwasser.

Theses defendendae.

I.

Strabismus et oscitatio facultate inficiendi gaudent.

II.

Nullum graviditatis infallibile signum.

III.

Infantes scrophulosi, viri arthritici.

IV.

In scrophulosi aër, sol et aqua plus praestant quam pharmaca.

V.

Funiculus umbilicalis post separationem non rite ligatus, mortem neonati inducere valet.

VI.

Venaesectio in morbis inflammatoriis nullo antiphlogistico substituenda.

VII.

Chemia medico maxime necessaria.

VIII.

In natura ubique vita, nullibi mors.

IX.

Aquarum usus in morbis medicorum summam attentionem meretur.

X.

Diaeta sola conveniens, multos morbos sanare valet.

XI.

Omne clima suos morbos.

XII.

Emetica egregia antispasmodica in multis casibus.

XIII.

Leucorrhoea et Chlorosis foeminarum hujus aevi dotes.

XIV.

Nostalgiae remedium unicum solum natale.

XV.

Aqua strumae causa et remedium.

